

Johann Ernst Schaper

**Johannes Ernestus Schaper, Serenissimi Ducis Mecklenburgensium Regentis  
Consiliarius ... Hodie Academiæ Rostochiensis Rector In instanti S. Michaelis  
Archangeli ... Festo Gaudium eorundem in Jubilæo N. T. Christiano Circa Animas  
Poenitentes Vere Jubilæum ... Omnibus Omnia Ordinum Academicis Civibus ...  
commendat**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1717?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003987532>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1717. Michaelis.

~~M-1256~~<sup>152.</sup>

Mai. 1717

# JOHANNES ERNESTUS SCHAPER,

SERENISSIMI DUCIS MECKLENBURGENSIUM REGEN-  
TIS CONSILIARIUS REGIMINIS ET ARCHIATER, MED. DOCT.  
EJUSQUE PROF. DUC. PUBL. PRIMAR. ET ORD. TOTIUS  
UNIVERSITATIS, COLLECII DUCALIS, ET FACULT.  
SUÆ SENIOR.

HODIE

## Academiæ Rostochiensis RECTOR

*In instanti*

# S. MICHAELIS

Archangeli, reliqvorumq; Angelorum,  
Cœlesti in Curia perpetuo trium-  
phantium, Festo,

GAUDIUM eorundem IN JUBI-  
LÆO N. T. CHRISTIANO CIR-  
CA ANIMAS POENITENTES  
VERE JUBILÆUM,

Prosequendum illud devotissimis Meditationibus, & ut circa Sexagesima  
riter etiam instituatur, Studiofissime connitendum.

Omnibus Omnim Ordinum Ad  
cis Civibus,

Publica hac, ipsorumq; saluti serio intenta atque addicta ratione commendat.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.



M. 1256 152



# Isserui qvædam , CI-

VES OMNIUM ORDINUM HO-

NORATISSIMI , in Programmate illo Sacro,  
qvod præterito Pentecostes Festo , ex more in  
hac Academia recepto , publicavi , de Jubilæo  
Christianorum in N. T. Evangelico , ejusdem

que Collatore æque ac Obsignatore Gratiostis-

simo , SPIRITU SANCTO , & qvidem occa-

sione Jubilæi illius Secularis , qvod iterum per DEI gratiam recolimus an-  
no currente in memoriam Reformationis Evangelicæ , Anno 1517. d. 30.  
Octobr. à Megalandro Luthero , maxima omnium cum admiratione sus-  
ceptam ; placet igitur & nunc occasione ejusdem in mensem subsequen-  
tem incidentis Jubilæi , Programmate hoc Michaelitico nonnulla differe-  
re , de præcipuo qvodam circa Jubilæum Christianorum N. T. Evangeli-  
cum momento , tribus tantum verbis isto tempore insinuato , de Angelou-  
tum scil. Sanctorum gaudio vere Jubilæo propter animam illam fidelem ,  
qvæ non parvi profecto æstimat immensam illam Gratiae Divinæ abun-  
dantiam , Jubilæo N. T. Gratiioso exhibitam , sed perpetui etiam sui Ju-  
bilæi legitimo flagrans studio , in id omnibus viribus intenta est , ut  
qvamdiu vita hac frui sibi licet mortali , tamdiu gratiae ac benevolentiae  
Divinæ per poenitentiam sibi conciliatae , incomparabili thesauro exopta-  
tum in modum perfruatur. Occurit de gaudio hoc , Angelorum , nomi-  
natim Beatorum , Cœlesti , meo qvidem arbitrio omnium maxime Jubilæi  
nomine digno , illustrissimum aliquod testimonium in Evangelista Lu-  
ce Cap. XV. v. 10. qvippe in quo ipsem Salvator noster Gloriosissi-  
mus , postquam in antecedentibus duabus Parabolis , altera , de ove de-  
perdita , altera , de deperdita drachma , egregia prorsus Apologia se-  
defenderat aduersus Scribarum & Pharisæorum injustas criminationes ,  
ob promte exceptos à se conversos Publicanos æque ac Peccatores , ad-  
versus lemet ipsum institutas , & simul genuinum fidelium animarum  
Pastorum circa oves errantes officium (qvod qværendo , absolvitur , re-  
ducendo , & congaudendo ) sanctissimo suo exemplo liqvide demon-  
straverat , sub juncto Epiphonemate satis Emphatico bigam Parabolarum  
istarum Apologeticam concludit , codemque fructuosisimam poeniten-  
tiaz

tiæ debita ratione comparatæ dignitatem mirabiliter extollit, sequentia proferendo verba pondere inexhausta: *Ego dico Vobis, quod ita quoque gaudium futurum sit (enascetur) in celo coram Angelis DEI super Peccatore uno, eoque paenitente, illis scil. Angelis, qui integritate sua ab omni peccato remoti in loco illo glorioso Visione DEI beatifica eternum triumphant.* Non attingam hac vice gaudium illud ineffabile DEI Patris de Peccatore quodam paenitente, quod ipse etiam Christus in Parabola de Patre illo Filii prodigi, ob redeuntem ad officium suum Filium, intimo cordis gaudio tripudiante, in eodem Capite v. 11. sqq. graviter admodum adumbravit; non attingam gaudium illud ineffabile Filii DEI, Pastoris illius animarum Supremi, de Peccatore quodam paenitente, quod ipsem iterum eodem Cap. v. 1--7. Parabola illa de Pastore ovem quandam perdiditam querente, reportante & idcirco largiter gaudente, mellita sane ratione delineavit: nec attingam gaudium illud ineffabile Spiritus Sancti, de Peccatore quodam paenitente, quod Parabolæ eodem in Capite v. 7--10. proposita, Mulier scil. drachmam quandam amissam querente, inveniente, & impense lætante, juxta plerorumque Commentatorum, quantum mihi quidem constat, sententiam, denuo Redemptor noster, JESUS Christus, aureo certe simili, tectori licet ratione, designavit: sed attingam tantum hac vice gaudium illud Angelorum Beatorum verè Jubilæum, quod verbis paulo ante in medium productis ab ipso Christo luculentissime expressum est, & à Pio illo Bernardo sermone trigesimo in Canticum Cantorum, aliis quanquam, inter alia, hisque his verbis, eodem tamen sine dubio sensu, prolatum: *Pænitentium Lacryma sunt Angelorum delicia.* Hoc ipsum autem Angelorum Sanctorum Jubilum, dum intensiori quadam mentis estimatione consideratur, & accuratori pensatione pervolvitur, & quoad internam illam, quæ ipsi insita est, naturam & proprietatem, & quoad externam, quæ ipsi adscita est, conditionem, non aliter concipi potest neque concipitur, quam Jubilum ad beneplaciti Divini normam exacte compositum, quippe quo propter eiusmodum & maximam cum DEO unionem Angeli de eo lætantur, de quo lætatur DEUS & Angeli suum de eo testantur beneplacitum, de quo DEUS suum non tantum testatur beneplacitum, sed & circa quod illud

Illud aseqvitur & que ac exsequitur; quale quid est Conversio Hominis Peccatoris, quam in verbo testimonii sui longe gratissimam sibi esse confirmat juramento per æternam vitæ suæ veritatem conformato, quamque in eodem alibi verbo maxime conformem esse declarat essentia suæ ac voluntati, nonnisi quod Sanctum & Justum est, amanti, jubenti, comprobanti, gratioseque remuneranti, quamque vel ideo jucundissimam sibi esse, impensisimo suo gaudio significant Angeli Satisti, Divinam undiqueque Sanctitatem & Justitiam integerime propugnantes, essentiaque suæ ac voluntati, Essentia & Voluntati Divinae optime rectissimeque subordinatae, pariter esse convenientissimam. Nec est quod existimemus, solo illo, quod jamjam protulimus, momento, absolvit naturam & indolem Jubili illius Angelici in Jubileo N. T. Christiano vere Jubilæi, est potius quod nobis firmiter persuadeamus, in eo ulterius eandem sese exserere, quod sit Jubilum ad mutuanum cum DEO conversationem maxime directum, quippe quo operosissime id procurare conantur gaudentes Angeli, ut Homines Peccatores, qui infelicissimum in modum exciderunt quidem è communione præstantissima gratiæ simul ac gloriæ, ad eam tamen per genuinam suam penitentiam felicissimum in modum redierunt, ab impenitentibus, communione illa & in tempore & in æternitate misere carentibus, longissime sint & maneant remoti, & contra, vere penitentibus, & in tempore & in æternitate splendide communione illa fruentibus, arctissime ita sint & maneant conjuncti, ut conversari possint inchoata quadam ratione cum DEO Uni-Trino, sincera fide, integritate vitæ, & indefessa laude, in communione benedicta gratiæ, & visione intemerata, sanctitate incorrupta, celebrationeqve nova, eaque continua, consummata illa ratione, in communione beata gloriæ. Ecce novum aliquod, quod apparet, documentum, naturam exhibens & proprietatem dulcissimi illius Angelorum Sanctorum Jubili, quod circa Peccatorem instituerunt penitentem in Jubileo N. T. gratiose, sed tale documentum, quod aliud concomitatur novum, ex quo constare porro potest, quod Jubilum illud Angelicum sit etiam Jubilum salvifici Christi meriti preconio egregie conspicuum, quo mediante Spiritus illi Ministrorii, quod Salvatori nostro Gratosissimo, à primo statim nativitatis initio ad gloriosam usque in Cœlum ascensionem, in omnibus ejusdem, passionis quoque

quoque & resurrectionis, actibus, paratissimo suo adfuerunt ministerio, quantam possunt operam adhibent maximam, ut dignum in modum illustrent & prædicent excellentissimum illum fructum patiter ac effectum, qui ex redēctione & satisfactione Salvatoris jamjam memorati plane inestimabili, ad Peccatores legitime poenitentes copiose eo ipso redundat, quod pretioso ejus, tanquam Agni immaculati, sanguine, à gravissimo peccatorum reatu absolvantur integre & emundentur, pulcherrimo salutis ejus vestimento & justitiae ejus amiculo condecorentur, & è numero Filiorum iræ, noctis, peccati & mortis, transferantur in catalogum Filiorum gratiæ, lucis, sanctitatis & vitæ, sicque admodum liberaliter adoptentur in Filiationem spiritualem hic in Via, ex iplorum parte nondum perfectam, ibi vero in Patria, omni ex parte omnibus suis modis absolutam. Verum enimvero, ut intra Programmatis brevioris me contineamus terminos, prætermisis reliquis, quæ in hoc argumenti genere in medium produci possunt, illustramentis, uno n tantummodo Superioribus addo momentum, de natura & indole Angelici circa animas DEO reconciliatas occupati Jubilli, constrictissimis, æque ac præcedentia, lineamentis, summatis descriptum, quo nempe poenitentiale illud, in quod intenti sumus, Angelorum Sanctorum Jubilum, ut Fabulum quoque repræsentatur intemerata erga Homines Concives caritate refertum, cuius beneficio Benignissimi illi Spiritus intentissimo rursus amore prosequuntur omnes illos ac singulos, quos magno aversati sunt odio, & indignos judicasunt prænobilitate suo consortio & ministerio, per illud tempus, quo indignos reddiderunt semetipsos Cœlestibus auxillis Clementissime sibi collatis, castra circa eosdem ponunt longe illustrissima & adversus hostium quorumvis prævalentes alias impetus munitissima, in Ecclesia militante, tanquam membra uno sub Capite Supremo, JESU nempe CHRISTO, pro DEI gloria & animarum salute, armis spiritualibus pugnantia, agnoscunt, fovent, defendunt, omnique consortii sui genere suo modo exhilarant, siue in statu illo reconciliationis letifuo, ad analysin usque pacificam sincera fide & debita sanctimonia perseverent, animas ipsorum in sinum illum deportant Abrahamicum, Ecclesiam illam triumphantem, ubi suo tempore.

cum corporibus conjunctæ, *isayyælia* illa beatissima & profluenta inde consortio illo suavissimo, felicissime in æternum exultabunt.

Attendamus nunc, qvod restat adhuc, CIVES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, debitum nostrum officium, qvod sancte nobis obeundum est, non tantum in præsenti hoc S. Michaelis Archangeli, reliqvorumque Angelorum Sanctorum Festo, sed & in omni illo, quod nobis residuum est, vitæ spatio, & ea, qva decet, mentis devotione agnoscamus, ad explanatum hactenus aliqua ex parte Angelicum Jubilium idqve vere Jubileum, de gratiosa pariter ac gloriola animarum poenitentium salute magna cum latitia adornatum, omnia Jubilæi Christianorum in N. T. Mysticæ genera, velut ad centrum qvoddam accuratissimum, admiratione digna quadam harmonia concurrere, qualia sunt ex cardinalibus sive præcipuis, Jubileum præstnationis æterna, qvo mediante DEUS elegit omnes Homines in Christo ante iacta Mundi fundamenta, ut sancti essent & inculpati in conspectu ejus in laudem gloriae ejusdem gratiae; Jubileum vocationis & revocationis serie, qvo mediante DEUS variis modis vocavit omnes Homines in tempore, variisque vicibus revocavit, ut essent manerentque Cives digni Regno suo gratia in tempore & Regno suo gloriae in æternitate: Jubileum redēptionis pretiosa, qvo mediante Salvator noster ~~os~~ <sup>sacerdos</sup> omnes Homines æterna redēptione ab Inferni fängibus vindicavit & Cœlesti Paradiſo salutariter restituit; Jubileum sanctificationis augustæ, qvo mediante Spiritus Sanctus, quantum in se est, omnes Homines per media gratia justificat, regenerat, renovat, & sanctificat, ut integer ipsorum spiritus, anima & corpus irreprehensibiliter præservetur ad adventum usqve Domini nostri JESU Christi beatum & extremum. Reformemus sic vitam nostram, si qva se præbet inordinatam, blande nos ad hoc invitante, qvod brevi, ut supra innuimus, tempore, recurret, Seculari Evangelicæ Reformationis Jubilæo, ut DEO Clementer adjuvante, componamus eandem assidue ad metam illam salutiferam, qz per predestinationem nostram est præordinata, per creationem nostram conformata, vocationem & revocationem nostram repetita,

per

per redēctionem nostram redintegrata , & per sanctificationem no-  
stram præmunita , pœnitentiam scil . fide constipatam , sœpius ite-  
ratam , adeoque perpetuam , quippe per quam ex optimo Augustini ,  
Bernhardi , Lutheri , aliorumque candidorum Ecclesiæ Doctorum  
judicio , universum vere Christianorum vitæ curriculum , justa qua-  
dam ratione absolvitur , quod brabeum Coeleste ex gratuita DEI re-  
muneratione liberaliter conseqvitur : sicutque per Divinum auxi-  
lium nostrumque indefessum studium , incomparabile illud nobis  
in præsenti mortalitate comparemus Jubilæum gratiæ , quo Sancti  
pariter Angeli de nostra etiam eaque vera pœnitentia & fide Jubilo  
gratioso maximopere sibi gratulentur , & in futura immortalitate ,  
impenetrabile illud possideamus Jubilæum gloriae , quo recepti in-  
beatum Spirituum horum Electorum ordinem ac numerum , de e-  
odem , alia inter innumera , argumento , Jubilum cum iisdem , Con-  
cilibus nostris , continuare possimus Trisagii illius sine fine glorio-  
sum.

**O** Veneranda Trinitas !  
Par Splendor & Divinitas.  
Lux Sancta , Sancta Puritas.  
O Sancta Pax & Caritas !



Qvam dulcis pœnitentibus ,  
Qvam pius es petentibus ,  
Qvam bonus TE quærentibus ,  
Et sic invenientibus .

Vera

*Vera Dulcedo Cordium,  
Fide TE complectentium,  
Excedens omne gaudium,  
Et omne desiderium.*

\* \* \*

*Cantamus TIBI gratiam,  
Devotæ mentis copiam :  
Eo quod per præsentiam  
Tuam videmus gloriam.*

\* \* \*

*Æterni Tui Nominis,  
Divinæque dulcedinis,  
Tui laus honor Numinis,  
Regnum beatitudinis.*

\* \* \*

*TIBI sit laudis gloria,  
Sit honor & scientia.  
Sit robur & potentia,  
In sempiterna Secula.*

P. P. Sub Sigillo Rectoratus Academicæ, in ipso Michae-  
lis Archangeli & Angelorum Festo. Anno, ob restau-  
ratam religionem, eamq. genuinam, Seculari &  
Jubilæo MDCCXVII.

VS)O(.





per redēptionem nostram redintegrata, & per sanctificatiōnē stram p̄munita, p̄cūnitiam scil. fide constipatam, ſecratam, adeoq̄e perpetuam, q̄ippe per qvam ex optimo A Bernhardi, Lutheri, aliorumq̄e candidorum Ecclesiae Djudicio, universum vere Christianorum vitē curriculūm, jadā ratione absolvitur, qvod brabeum Cœleſte ex gratuita muneratiōne liberāliter conseq̄uitur: ſicq̄e per Divinū lūm nostrūm q̄e indefessū ſtūdium, incomparabile illū in p̄ſentī mortalitātē comparemus Jubilæū gratiæ, qv̄ pariter Angeli de noſtra etiam eaq̄e vera p̄cūnitia & ſic gratiō ſo maximopere ſibi gratulentur, & in futura immo impenetrabile illud poſſideamus Jubilæū gloriæ, qvo re beatum Spirituum horūm Electorū ordinem ac numerū ſodē, alia inter innumera, argumento, Jubilū cum iisde civib⁹ noſtriſ, continuare poſſimus Trifagii illius ſine fine ſum.

**O Veneranda Trinitas !  
Par Splendor & Divinitas.  
Lux Sancta, Sancta Puritas.  
O Sancta Pax & Caritas !**



**Qvam dulcis p̄cūnitibus,  
Qvam pius es petentibus,  
Qvam bonus TE qværerentibus,  
Et ſic invenientibus.**

